B. N. C.
FIRENZE
1042
10

Digitized by Google

1.X0 10

XXVII
ARTOR

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1042
10



IN ADVENTV SERENISSIMI FERDINANDI II. MEDICES Magni Etruriæ Ducis BRACCIANVM.

Oratio

Nicolai Sortorelli Senogallieñ

Bracciani, Typis Andreæ Phæi. 1628. *Sup.permiſſu.*

1042. 10

SERENISSIMO
FERDINANDO II.
MEDICES
MAGNO ETRVRIAE DVCI.

Nicolaus Sortorellus Senogallienſis F.

Vlgaris non eſt lætitia,quam affert optatiſſimus Amplitudinis tuæ Sereniſſimæ aduentus, quia gaudium Excellentiſſimæ Vrſinorum familiæ lætitiæ fines quàm maximè tranſit, in illiusque terminis neſcit ſe continere ; tantus enim eſt honor,quem ipſa Excellentiſſima Familia recipit, dum Amplitudinem tuam Sereniſſimam Bracciani excipit : Si autem gaudet Dominus, exultet & ſeruus. Gaudii mei aliqua ex parte hæc ſit teſtis Oratio, iis ſaltem veris coloribus exornata,qui ſine fuco, ſine colore venerationẽ indicant, & cultum, ni verborum ſententiarumq. cultu,atque coloribus exculta. Nec ab re quidem venerationis,& cultus eſt teſtis Oratio, oratura ſcilicet Amplitudinem tuam Sereniſſimam,vt lætitiam obſequioſi ſtudii, & ſtudioſi obſequii in Medicæam Familiam certiſſimum ſignum, atque apertiſſimum argumentum complectatur, oratura quoque Te Sereniſſime Dux,vt ipſam orationem, quam tibi dico, quia de Te, deque Medicæis tuis dicit,benignis oculis intuearis,exoratura prætereà D.O.M. venit oratio, vt ad Chriſtianæ Reip. & Medicææ Familiæ decus,commodum,& proſperitatem Amplitudinem tuam Sereniſſimam diuturnam ſeruet atque felicem. Vale. Kal. Martii.

Imprimatur. Lucas Ricciottus Archipresb. & Vic. Bracciani.

Imprimatur. F. Andreas Bracchianen. Ord. Eremit. S. Aug. S. T.B. ac Reuerendiſs. P.F. Nicolai Rodulfij Ord. Prædic. Sacri, & Apoſtol. Palatii Magiſtri Deputatus.

1042 10

DE Actiaca ouantem Auguſtum Cæſarem victoria, ad Vrbem Orbis victricem redeuntem, inter officioſiſſimè gratulantes hiſce verbis: ***Aue Cæſar Imperator***, feliciter à Coruo ſalutatum fuiſſe accepimus. Quid mirum igitur gaudium, atque obſequiũ meũ teſtandi cauſa, ſi tibi Ferdinande Sereniſs. Florentia Orbis Flore Braccianum venienti diſſono quidem, at hilari crocitatu exultans occurrã, ***Aue Ferdinande Sereniſs. Magne Dux Etruriæ Aue?*** Et quoniam in omniũ ore lætæ perſonant acclamationes, ac ingens in ſingulorum vultu gaudium apertè legitur: audiantur quæſo, legantur obſecro (quamuis in rudi lingua, in obſcuro atramento Sereniſſimi Ducis ſplendor clarere minimè poſſit) legantur, inquam, quæ exiguus, ac tenuis mentis meæ miniſter ſignat ſtylus, qui profectò nihil aliud, niſi quod illi miniſtrat animus exarat. Quantum igitur ſit gaudium, quo geſtit Braccianum ex aduentu tuo feliciſſimo, paucis Dux Sereniſſime attende: Et quoniã ſingulorũ animus præ gaudio bacchatur, ſic mea ſine ordine vagetur oratio.

Gaudet ſummoperè Braccianum, dum Amplitudinem tuam excipit Sereniſſimam; quia & ipſum in Etruria (in qua Altiſſimum ortum habuiſti) ſitum eſt: ſed quoniam Etruria illa eſt Prouincia, quæ ſeculorum memoria penè immemorabili vniuerſo terrarum Orbi eſt maximè nota; nihil erit quòd dicam Etruſcam ſapientiam Reges, ritus, cærimonias, auguria, ipſum Deorum cultum dediſſe Romanis; quod tamen perſpicuum eſt, atque apertiſſimum cuiquè, conſtanter aſſerere minimè dubitabo, Etruriam Prouinciam feracitate ſua multarum prouinciarum altricem eſſe abundantiſſimam, ſummorum ingeniorum, eorundemquè plurimorum, & productricem eſſe, atque nutricem vberrimam, nullam totius orbis partem, nullã regionem, nulláq. Prouinciam, quæ Tuſcè loqui docuerit Muſas, niſi ſolam Etruriam repertam fuiſſe. Etruria celeberrimos Pictores, Architectores ingenioſiſſimos, Oratores egregios, ſublimes Poëtas, acerrimos Philoſophos, Lynceos Aſtrologos, & produxit, & adhuc producit, qui in artibus, & ſcientijs ſuis aut omnes excelluerunt primi, aut primis æquales fuerũt. Illos verò, qui Eccleſiaſticas etiam ſupremas adepti ſunt dignitates, quiq. in Sanctorum numerum ſunt relati, non eſt hic profectò narrandi locus: innumerabiles enim ſunt, eorumq. omnium nomina in

albo æternitatis ſcripta ſunt, nemo autem miretur Etruriam, & priſcis illis temporibus, & hac noſtra tempeſtate tanto in pretio, tantoq. in honore fuiſſe: Etruria namq. diuinæ, ac humanæ pietatis. (Vnde omne donum) obſeruatrix fuit, & eſt religioſiſſima. Huius verò feliciſſimæ Prouinciæ ampliſſima altitudo tua ſplendor eſt maximus. Te ſummum igitur noſtrum gaudium quis non intelligat? Eſt præterea, quod Braccianum gaudeat vehementer; quia Florentia venis, quæ fuit tibi natale ſolum, & iure optimo quidem, nam te Heroum florem clariſſimum in Florentiſſima Ciuitate clariſſimus ortus decebat: Cæli benignitas huiuſce Vrbis, aëris temperies, ſitus elegantia, ſoli feracitas, non opulentiam ſolam affert illarum rerum, quas victus, penè dixi luxus expoſtulat, ſed benè roboratorum quoque corporum ſtructuram, ipſam animorum benignitatem, ipſam mentium temperantiam, morum elegantiam, benè compoſitorum ingeniorum producit feracitatem: Amplitudo huius Ciuitatis, venuſtas, atque pulchritudo vniuſcuiuſque deſiderium illius viſendæ, & alliciunt & cogunt; magnitudo, ac habitatorum multitudo ea eſt, ac tanta, vt neutra alteri cedere videatur, mundities amplam vicorum exornat latitudinem; plateæ ita ſtratæ, vt tam hyeme, quam æſtate, quilibet poſſit aptiſſimè incedere, & totam ſine moleſtia luſtrare Ciuitatem. Aedificiorum ſtructura admirabilis, proſpectu delectabilis, aſpectu perpulchra, Sermone Tuſca, cultu vrbana, celeberrimo flumine delitioſa. Templorum verò magnitudo, multitudo, atque venuſtas tanta eſt, vt ſint qui aſſerere non dubitent Vrbem Romam ſuperari. Romam Eccleſiarum Cupularum (vt vulgo dicunt) figuram à Florentia ſumpſiſſe pro comperto habeo. Xenodochia, pauperum ſubſidia, ac præſidia quis numeret? Variarum Cœnobia ſacrarum familiarum, eorumquè ſplendores, nihil eſt quòd nominem. Hæc Ciuitas ſingulorum corda peramanter cogit; at ſi efferum aliquod, ac ferox eſſet ingenium, quod in ea ſit opinione, vt id minimè credat, adeat Florentiam, adeat ibi Tigres, Leones, Vrſos, Pantheras aliaſque ferociſſimas belluas, quas non vbique reperiet, & proculdubio credet, ni tamen (quę ipſius mira eſſet ſtultitia) ni inquam has belluas credat Oues, quod quidem erit perfacilè, adeò enim Medicęorum manſuetudinẽ imbiberunt, vt manſuetiſſimæ oues videantur: Generoſa Medicęa familia tam ſpectabilem Orbi reddidit Vrbem Florentiam.

tiam. Felix profectò eſt hiſce dotibus cumulata Florentia, ſed omnium Vrbium longè feliciſſima. quia in cordibus, in animis, ac mentibus Ciuium floret, viget, ac regnat virtus. Hæc verò virtus illa eſt, quæ in Medicæa familia tanquã in propria ſede, & domicilio commorata eſt, & conquieuit ſemper. Habuit Roma familias, quibus aliquam virtutem tanquam propriam tribuit, moderationem nimirum Piſonibus, Lœlijs Prudentiam, Metellis religionem. Medicæa vel vna familia non ijſdem ſolum, ſed quàm plurimis alijs virtutibus exornatiſſima fulget. Quis vnquam ſatis Euerardi Medices admirabitur Fortitudinem? Vitio mihi ne detur, ſi mea nimis longè petita videbitur narratio; Honori tribuatur familię Medices, cuius maiorum, ne dum auitorum, poteſt ſeries connumerari hiſtoriarum libris notiſſima, cuius virtus in eadem familia vetuſtiſſimum tenet domicilium. Hic, inquam, Euerardus ille fuit, qui ſingulari certamine pugnando, alter Hercules ſingulari virtute expugnauit ſuperbum Mugiellum Gigantem in Etruria raptorem, predonem, latronem, graſſatorem, totius Etruriæ vaſtatorem, ac depopulatorem, Caco illo ſceleſtiſſimo infeſtiorem, hunc audaciſſimum Gigantem pedibus calcauit Euerardus: & licet Euerardus manu clauã minimè geſtaret, crebros tamen ictus, ac validos & ſenſit, & geſtauit in clypeo. Huius viri Herculeus labor ſuperbiam pluſquam Gigantęam ſi domuit; nil mirum ſi atrum, ac truculentum ſuperbiæ venenum nullo vnquam tempore Medicæam aggreſſum ſit familiam. Vierij ex Medicæis Prudentiam quis extollet? hic Menenius alter Agrippa plebem ad iram facilem, nouarum rerum ſtudioſam, conſtantem in vindictis non ſolùm conciliauit, ſed Senatum in auctoritate, Populum in libertate collocauit. Vnum Patrem Patriæ Roma prędicauit. Ioannem Medices Tutelarem Patriæ Deum appellauit Florentia, quia dedit, quia ſuas deprompſit diuitias, publicæ vt conſuleret neceſſitati; hic præeſſe ſtuduit nunquã, prodeſſe ſtudebat ſemper. Coſmus cognomēto Magnus eiuſdem Ioannis filius, Pater Patrię, vna omnium voce fuit appellatus, cuius generoſam magnanimitatem, magnanimam munificentiam, munificentiſſimam liberalitatem, liberaliſſimam humanitatem, humaniſſimam temperantiam, temperatiſſimam modeſtiam quis enarrabit? nihil eſt quod de huiuſce Viri animi conſtantia ſint verba facienda; proximus Coſmo Medices (longo ſed proximus interuallo) v-

nō omnium conſenſu iudicatus eſt Metellus, Rutilius, Alcibiades. Extollat Roma quantumlibet Caium Iulium Cæſarem; Medicæa & familia alterum Ioannem nemini cedentem nominabit, cuius labor in negotijs indefeſſus, generoſa in periculis fortitudo, in cōficiendo celeritas, ſunt notæ; ſi quis tamen ambigeret, præter innumeras virtutes incredibilem in aduerſo quodam infortunio Ioannis fortitudinem teſtatiſſimam faciet & Gonzaga, & Feltria' familiæ Sereniſſimæ. Timuit à Cæſare Roma de libertate, lacrymata eſt Italia obitum Ioannis, ſperabat namque, hoc tanto Duce ſuperſtite ſe futuram Reginam, quæ Ancillabatur. Scipio Aelianus in Romana Rep. domi, militiæque fuit quidem eminentiſſimus; Prodeat modo ex Medicæa familia Laurentius, cui nihil defuit, quod viro ſummo adeſſe oportet. Huius virtus ſpectabilis fuit ante diem, ni ætate, diſciplina tamē corroborata. Vigeſimum annum agebat, dum eorum maturitate conſiliorum Patriam ſubleuabat, quibus præſtans quoduis ingenium, quæ uis morum grauitas, animi integritas, atque ſapientia afferre minimè poterat maiora. Nulla res erat quam vnicus vir ille conſilio regere, modeſtia temperare, integritate tueri, virtute conficere, auctoritate non poſſet conſeruare. Non ſat ſcio, quis vnquam fuerit Laurentio, vel perſpicua integritate vitæ, vel omnium maximarum rerum ſcientia, & cognitione præſtantior. Hic Laurentius alius eſt ex Medicæis qui toto plaudente populo, toto roboante Orbe Magnus cognominatus fuit. Quis non expertus eſt in eo boni viri humanitatem, amiciſſimi hominis beneuolentiam, conſtantiſſimi amici fidem, & ſummam animi magnitudinem? Ludouicus Gallorum Rex X I. Laurentij Medices plurimi fecit amicitiam. Sultanus Aegyptius Laurentij beneuolentiam precioſis muneribus aucupabatur. Vngariæ Rex Mathias de ſumma totius regni ſui conſuluit Laurentium. Innocentius Octauus Pontifex æquè maximus, ac innocentiſſimus tanti fecit Laurentij amicitiam, vt ſibi affinitatis vinculo coarctatam voluerit. Summa iam animi inſpiciatur magnitudo, ſe, ſuaque omnia libens formidoloſo bello non recuſauit exponere, vt patriæ ſalutem defenderet Reip. Princeps non erat, ſed erat in Rep. Princeps, primarius omnino quia Reip. erat pro ratione Laurentij voluntas. Aduentus tuus ſicut animos afficit gaudio, ſic & recordatione reficit memoriam. Emunctæ naris Laurentius hic Vir inſignis coniugium affectans Vrſinorum vbi-

vbique terrarum Beneolentem ſubodorauit Roſam clariſſimam elegit vxorem Claricem Vrſinam, quibus Fortunæ, quibus animi dotibus cumulatam non ſat ſcio: Hoc vnum non ignoro, Petrum Medicæum huiuſce Laurentij, quem nominamus filium, alteram duxiſſe vxorem ex Vrſinis Alphonſinam nempe, cuius pietas, & prudentia, ac eloquentia nota eſt Medicæis, atque perſpicua. Quos tamen fructus Medicææ familiæ attulerint Nobiliſſimi Flores Vrſinorum Roſæ, hi ſunt profectò, præter cæteros, Ioannes Medices, qui decimo ſuę ætatis anno (quod nemini vnquam obtigerat) in purpuratorum Patrum Senatum fuit adſcriptus: Pontifex deinde Maximus, Leo X. cognominatus eſt; cuius rugitus & liberales artes excitauit & Muſas. Iulianus alter qui licet Princeps magna omnium lætitia fuerit nominatus, hunc tamen titulum, quem nemo vnquam fuerat aſſequutus, quemque nemo repudiaſſet, ipſe ſumma animi moderatione recuſauit, O magnum ſui, populiq. moderatorem! Iure optimo lætabatur populus, quia excipiebat cum Principe libertatem, cum Principe liberalitatem. Tenet & roſa (ſi bene inſpiciatur) in medio coronam; tulit in vtero, ex vtero protulit Clarix Vrſina Roſa in Medicæis Catherinam, cuius in capite Gallorum fulſit Corona. Iam ad Coſmum proauum tuum Sereniſſimum mea conuertatur oratio, cuius integra fides, ac liberalitas tanquam aurea catena populi victos animos reddidit vinctaque corda. Magnus Etruriæ Dux fuit à Pio V. feliciter nominatus. Quo Duce, & Senæ, & Piſæ, vrbes vetuſtate non ſolum, ſed & diſciplinarum ſtudijs celeberrimę libertatem putauerunt Coſmi nutui obedire, & fieri ancillæ. Proaui tui Sereniſſimi præclara facinora quis explicare poterit? Turres erigere, palatia cōſtruere, arces ponere magnanimus quiſque poteſt, & benè nummatus quiſque, at Ciuitates condere non quilibet valet, nòn quilibet poteſt. Condidit Coſmus, quia Magnus, alteram ad Aemiliæ fines Vrbem, Ciuitatem ſolis appellatam, alteram in Iluę inſula celeberrima Coſmopolim nomine illis ſumptibus, quibus excogitari poteſt feliciſſimè erexit, atque fauſtiſſimè; Equites ſub auſpicio S. Stephani nulla alia de cauſa deſignauit, niſi, vt Tyranno Turcæ eſſet Medicæa familia non formidoloſa ſolùm, ſed terror, & horror, terra, marique eſſet concelebranda. Nihil eſt, quòd modo recenſeam Medicæas fœminas ſacris Regijs cinctas Coronis, ſancto nimirum coniugij nexu cum Regibus, ac

Impe-

Imperatoribus adſtrictas,& cum primarijs Italiæ Principibus coniunctas. Eſt tamen quod proferam Iſabellam Coſmi Magni Ducis Sereniſſimi filiam cum Paulo Iordano Vrſino in ſacroſanctum matrimonium collocatam fuiſſe. Liceat obſecro (quoniam incidit mihi memoria)de Virginio Gentili Vrſino,verba facere;hic ille eſt,qui totius Italiæ,& conſiliorum, & armorum Arbiter fuit clariſsimus,hic peditum,& equitatuum adminiculis ſic pro Medicæa familia ſtabat, vt pro illius dignitate ſe propugnatorem acerrimū ſemper oſtenderit. Vt ad rē redeā ex Iſabella Io. Paulus Iordanus Virginiū ſuſcepit Vrſinū,quē & Coſmus,& Ferdinandus Sereniſſimi paterno complexi ſunt atque amplexi amore,exceptum in aula ſpectabili,in illo ſcientiarum Muſæo, in illo quarumcumque diſciplinarum Licæo educauerunt, quid mirum Virginius Vir acerrimo conſpicuus ingenio, honeſtiſſima vitæ integritate ſpectabilis, diuinarum rerum ſtudio ardentiſſimus,eximia clarus pietate,omni præclarus doctrina,prouida pollens ſedulitate rerum, rerum mirabili inſignis vſu, conſilij robore præpotens inde ſi euaſerit? Optimè nouerat Excellentiſſimus Virginius quantum dignitatis, & virtutis in Medicæorum Aula ſibi comparauerat,hac de re pro ſuorum educatione filiorum nullum alium excogitauit locum, quam Aulam Medicæam Florentiſſimum Principum Seminarium; ibi Paulus Iordanus Secundus Vrſinus, nunc Bracciani Dux, vna cum Excellentiſſimis Fratribus ſuis omnes illas artes, ac ſcientias percepit,quæ Excellentiſſimum quemque Orbis oculis reddunt ſpectatiſſimum,quibus verò dotibus corpus ornauerit ſilebo,ſilebo exercitium Paleſtræ,motus agilitatem,experientiam equitandi, in artibus quaſi omnibus mirā induſtriam,& quidem iſtas artes longè antecedit nobilitate, ſingula quid narrem artificia manuum? Magnum quidem certamen eſt vi,ne corporis,an virtute animi, quàm plurimis Principibus præcedat. Ingenij vires, quæ memoriam ſui, quàm maximè longam efficiunt, hæ ſunt non nullæ, in artis bellicæ peritia eſt verſatiſſimus,quam ferox in prælio, mitis in contubernio, quando opere miles,conſilio Dux eſſe debeat optimè noſcit:mathematicas ſcientias apprimè callet, in omni eruditionum, ſcientiarum, ac doctrinarum genere perpolitus. Florentia Latinas, ac Etruſcas ſecum duxit muſas; immo Etruſca Muſa ſponte eſt illum ſequuta, quo cū adeò felix viuit, vt nulli inuideat ingenio. De ſingulis Pauli Iordani fra-

fratribus,verba minimè faciã,ſatis eſt ſi dicã Vrſini ſunt,ex Vrſina illa familia, quæ Vrbis eſt, & Orbis honos, quę res Italiæ, & Chriſtianæ Reip.labentes,atque afflictatas firmiſſimis belli ſubſidijs,diuinis propemodum conſilijs erexit, & confirmauit, Vrſini, inquam, ſunt Florentiſſima in aula Mediceça educati. Non percenſebo ſingulos Vrſinos fratres, quia operę pretium eſſet Alexandrum Vrſinum nominare, cuius memoria gaudium, quo ex aduentu tuo afficimur interrumperet; ſine lacrymis enim non poteſt nominari lumen illud religionis,& columen, ſanctitatis ſpecimen,S.R.E.Cardo ille firmiſſimus lætus adijt iam locum, vnde lacrymans abijt; ſic & Roſa poſt glaciales hyemis pluuias læta purpuraſcit; ſerenos occluſit oculos mundanis tenebris, æterno lumini oculos recludens; Sic Roſa nocte occluditur, die verò recluditur: Vere digna Roſa, quæ proprio purpurata ſanguine in cæleſti Paradiſo ver tenet perpetuum. Excellentiſſimum illum Vrſinum,qui Ferdinandi Magni aui tui Sereniſſimi nomẽ gerit ingenio, manuque ad præclara facinora promptiſſimum ſilebo: nonnulli Excellentiſſimi Vrſini in aula tua delicijs ſpectatiſſima humanarum rerum deſpicientiam didicerunt, omnes tamen eximiam apprehenderunt pietatem, atquè vitæ integritatem: hos tot viros inſignes Familiæ tuæ acceptos refert Braccianum. Iam Ferdinandum Magnum Auum tuum Sereniſſimum nominemus, cuius,dum ſacro in Collegio Purpuratorum decus ampliſſimum ſedebat,Chriſtiani nominis perpetuus hoſtis timuit conſilium, dum verò conſpicuus maieſtate regnauit,infeſtiſſimus Turca & manum pertimuit, atque virtutem formidauit. Hoc Magno Duce Africa fleuit, Italia verò riſit,fortitudinis, ac magnanimitatis Ferdinandi Magni teſtes ſunt velint, nolint Turcarum vrbes, & oppida depopulata, atque funditus euerſa, teſtes ſunt etiam Triremes manu captæ, ac in ſeruitutem redactæ; hę verò trophęa ſunt, quę eximia virtute,pręclarè geſtis ſuis ſibi glorioſè comparauit, & quę ſæculorum memoria anathemata cernet in æternitatis templo. Hic non triremes docuit, ſed quidem ab illo lateritię arces,& marmoreæ didicerunt æquora tranare. Nutu ſuo oneratas breuiſſimo temporis momento naues quamplurimas voluit, in quibus minima quæque res minimè deerat, quæ ædificiorum conſtructioni opus eſſe videretur, & vnica tantùm nocte(mirabile dictu)ad Maſſalię Portum adamuſſim fortiſſimam arcem conſtru

xit,

xit,quæ fuit Italiæ libertatis propugnaculum, quod facinus quis vnquam quouis exornationis genere dicendo valebit exprimere? Periculum erat in mora, moram promptum, atque ingenioſum Ferdinandi conſilium leuauit, periculum clara & ingens Ferdinandi magnanimitas ſuperauit. Temperantiam, manſuetudinem, comitatem, benignitatem,clementiam vndequaque maximam Coſmi Magni II. Patris tui amantiſſimi,quibus poterit laudibus mea proſequetur oratio; facilitas illa tractabilis, ingenium illud commodum, cui non libido cædis, & ſanguinis, ſed Iuſtitię,& æquitatis amor, ſed placidiſſimum pacis otium, ſed ſummum quietis ſtudium placuit, & viget, & vigebit ſemper: Quoties illo Duce Ignitarum Pilarum vexillo ſplendidiſſimo expanſo auerſę Turcarnm palluerunt gencę:immatura mors ex hominum oculis illum ſi euulſit,ex hominum cordibus nunquam euellet, quia,quoniam Coſmus nomine, Coſmius erat. Liceat modo referre, quod de Coſmi obitu mea qualiſcumquè ſit, dolens ex animo muſa lacrimata eſt Piſauri.

Fortè putas Coſmum nulli virtute SECVNDVM
Proſtrauiſſe tua Mors inimica manu?
Erras. preſſus humi ſeſe ſuſtollit Olympo,
Vt Pila miſſa ſolo, quæ magis inde ſalit.

Ingenio demum virtute tandem victor, triumphator extitit, & mortis, & temporis, adeptus ſcilicet nullo vnquam tempore delendam nominis immortalitatem. Omittam Sanctiſſimos Mediceos ex familia tua Pontifices Maximos,Leonem X.Clementem VII. Leonem XI. quibus ab ineunte ætate ſupremum honoris gradum, optima ingenij indoles, atque ſplendor familiæ promiſerunt tandem, probitas, atq. ſapientia dederunt. Apoſtolicæ ſedis ſacros Mediceos ex familia tua Cardinales Ampliſſimos neque numerabo, conſtat namque familiam tuam, & toga,& armis apprime fulgere. Ad te Ferdinande Sereniſs. mea vertatur oratio,quid autem potiſſimum dicam? Es Ferdinandus II. Magnus Etruriæ Dux, quid plura? Medicæus es, & quoniam Mediceus, quod à Natura, quod à Virtute, quod à Fortuna ſit expectandum cumulatiſſimè & conſequutus es, & conſequeris. Natura te ad laudis,& nominis altitudinem produxit, Virtus euehit, & euehet, Fortuna ſeruat, atque ſeruabit. Validum corpus tuum, & pulchrum gerit pręſtantem animum, & ingenuum; pręſtans animus

tuus

tuus, & ingenuus regit validum corpus, & pulchrum; Corporis tui ſpeciei dignę imperio, imperium iam dedit Natura, ſed animi tui prę-ſtātia Virtute duce, & comite Fortuna alia tibi promittit, & dabit, oris grauitate ſplendes, graui quoque maieſtate, & grata, quę reuerendum quiddam, ac dignitatis plenum repreſentat, adeuntes incredibili comitate complecteris omnes, omnes benignè accipis, omnes lætos, atq. alacres dimittens, quę verò beneuolentiæ, humanitatis, clemētię, pietatis ſigna apertiſſima polliceris, re ipſa exhibes atq. exequeris, hæc oris tui grauitas, & maieſtas omniū animos in tui cultū rapit, atque admirationem; Serenum eſt ſupercilium tuum, quia mens tua eſt ſerena, frons ſerena ſemper, nubila ſemper, emiſſura ſcilicet (quando opus fuerit) nobiles ſudores; Illi oculi, quibus omnes ſerenus, & æquus aſpicis, quibus lętus, & benignus reſpicis, quibus clemens, & pius intueris omnes, in iucundiſſimi oris tui aſpectū omnium oculos conuertunt; Illa tua lingua, quæ voce ſua non hominem ſonat, quæ liberalem, ac altum animum oſtendit, quæ puram, & candidam refert mentem, quæ liberalibus reſponſis ſolatur omnes, nec patitur à Sermone ſuo quēquam triſtem diſcedere, cuius alta pręcepta, tanquam leges ſeruātur omnium quoque, linguas in ſuas excitat laudes; Illa tua dextera, quę omnibus eſt dextera (aurum dum tractat) liberalis eſt in egenos, ſupplicibus præſto eſt, afflictos recreat, ſubleuat calamitoſos, fortiſquoque eſt & illa dextera, atq. formidoloſa (ferrum ſi tractet,) quę claro robore improba opprimet corda, animos ſibi ſubijget rebelles. Valida quoq. eſt ſiniſtra, cui intolerabile nō eſt ſcutū; Inceſſus, qui grauis eſt ſemper, ad beneficientiam, atque liberalitatem eſt velociſſimus; Generoſa in puro corde tenes deſideria, alta facinora geris in humili mente; Illis verò auribus tuis, quę Recti, atque Honeſti vocibus perſonant ſemper, diutius non obſtrepet, illaſque mea non offendet oratio, ſi inhoneſtum exhiſtimant adhuc viuentes ſuarum laudum acroama audire. Hoc vnum tamen æquo animo audiant, hęc ipſa, quę de te rudi minerua iam dixi ea ipſa ſunt, quę noſtram augēt lętitiam, bonam peruenium tuam Sereniſs. Dux liceat proſequi, (tanta aduentu tuo nos afficiēte lętitia, quanta percipi poteſt maxima.) quia hiſce oculis videmus illum, in quo Chriſtianę Reip. ſalus innititur, qui eſt ſpes maxima rerum, qui explebit, ac ſuperabit vota; Dux eſt Sereniſſimus, qui virtute magis, & aperto animo gaudet, quàm

ſtau-

fraude, & adulatione, qui ætate adoloſcens, at maturitate conſillorum prudentiſſimus ſenex, regimen tractat non tam timoris, quàm amoris, non tam ſeueritatis quàm Charitatis, quo in regimine ſi quando curis, ac negotijs premitur, ſe fruſtra occupatum non putat, ſed eſſe id munus ſuum, & artem exiſtimat; iſtam lacertorum, & pectoris firmitatem, corporis vigorem, & volucritatem non fruſtra à rerum omnium vna parente natura ſibi conceſſas agnoſcit, ſed vt libens ferat labores, quos virtutes reputat argumentum; nemo eſt qui Medices familię miretur fortunam, plurimas miretur victorias, pręclarè geſta, opulentiam penè incredibilem, ſed ſunt qui admiratione afficiuntur, Mediceam familiam in tanta fortuna, in tot, tantiſq. victorijs, in tot tam pręclarè geſtis, in tanta fortunarum opulentia prę oculis ſemper habuiſſe, & temperentia vti atque iuſtitia; non omnibus quidem conceſſum, paucis, quos æquus amauit Omnipotens, amauit autem prępotens D. O. M. Sereniſſimam hanc familiam, quia Medicęa familia pauperum ſemper fuit perfugium, calamitoſorum aſylum, totius Italiæ ingenioſorum receptaculum ingeniorum, quibus fauit, quę fouit ſemper, negotioſum muſarum otium, per immenſum ſcientiarum nauigantium oceanum aura, & portus bonarum artium grande leuamen, dulce pręſidium, & vt vno verbo complectar Chriſtianæ religionis ſplēdor inſignis: Eādem Medices familiam futuram ſemper eſſe, atq. maiorem, in dubio quidem res non verſatur; cum tu Magnus ſis inter tot Magnos quot nominare potes, fies proculdubio Maximus. Nihil eſt, quòd externorum tibi proponantur, exempla virorum, habes domi maiores Magnis eoſdemq. præoculis ſemper, quos imiteris; quod geris nomē ſolū ipſum eſt, quod te ad præclara facinora peramanter excitare poteſt. Reliquum vnū eſt vt quantū fuerit honeſtatūBraccianum ex aduētu tuo optatiſſimo explicem, ſi potero, oratione, non licebit profectò, quia non valet lingua, non poteſt oratio, quæ vix animus capit, exprimere. Solet frequenter Braccianum Regiorum Legatorum, Purpuratorum Cardinalium, ac Romanorum Principum perfrui præſentia, atq. lætari. Recreatum eſt iam dudum Braccianum & Sereniſs. Ducum, & Regum, & Max. Pontificum præſentia. Dum Roma inclemētiam Cęli, aeris intemperiem patiebatur, lætaliq. morbo laborabat, Xiſtus IV. Pont. Max. ad ſalubritatem aeris captandam Braccianū ſe recepit, ibique ad multos menſes

ſes

ſes commoratus eſt; ſed perfuſum eſt gaudio Braccianum, qãdocum que Ferdinandus Auus tuus tunc Cardinalis ampliſſimus omni depoſita grauiori cura Roma hunc locum frequẽter adibat; voluptates, & ſolatia, quibus afficiebatur maximis ex uenatione, & aucupijs, ſilebo; adeo delectabatur Bracciano, vt hanc Ciuitatẽ paterno proſequi amore videretur hac de re ex ſententia & conſilio ſuo domos extruendas, et publicas ſternendas vias curauit. Quotieſcunque Carolus Patruus tuus Sereniſs. qui admirabili purpuratorum conſenſu, incredibili populorum expectatione expetitus eſt & ſalutatus Cardinalis. Ille Sacer Heros, qui Purpura, qua tegitur, detegitur quoque, ſacra quidem decorus eſt Purpura, merita tamen purpura non æquat, ſacro (liceat dicere) magis decora purpurato eſt purpura; ſic rutilans eſt cælum, ſic radiantes ſunt nubes, ſolem tamen in ſe habent. Hinc fit quòd iubar ſacri Senatus, quòd decus eſt Orbis, quotieſcunq. inquam Patruus tuus Cardinalis Ampliſs. Braccianum adibat, toties Braccianũ recreabat, & ſolabatur. Aduentus verò tuus omnia illa gaudia, quibus antea affecta eſt hæc Ciuitas modo reficit, ac renouat maxima, immo auget gaudia maximis maiora. Non te namque ſolum Magne Dux Ferdinande excipit Braccianum, ſed & Sereniſsimum Principem Ioannem Carolum germanum tuum, quĩ ſapit ante diem, cui dum florent anni, maturos honorum fructus totus terrarum Orbis à Præpotenti Deo deprecatur; cuius Virtus ætatem præcedit, cuius pueritia illam minimè poteſt indolem cælare, quæ non ingenua ſolùm, ſed admirabilis eſt, atq. incredibilis. Non felix, ſed longè fæliciſſimum Braccianum tali, tantoq. dignatum honore. Excipere Ferdinandum II. Medices Magnum Etruriæ Ducem, vnàq. ſecum Sereniſs. Principem Ioannem Carolum Mediceum germanos fratres, filios Coſmi II. Magni Etruriæ Ducis, quo cum Paulus Iordanus II. Vrſinus non modo vixit arctiſſimus affinis, ſed familiariſſimus, quorum Sereniſs. Mater eſt Chriſtina Auſtriaca decus totius, quæ reperitur in Orbe nobilitatis, Sanctitatis ſpeculum, pudicitiæ lampas, fœmina vndequaq. abſolutiſſima: Quantum honoris, quantum dignitatis, quantumq. ſolatij additur Vrſinæ familiæ dum Amplitudines veſtræ Sereniſs. in huiuſce Domus dominio perpetuant, cuius longam, ac præſcriptam Medicæa familia tenet poſſeſſionem! O gaudium, gaudiũ, quantum ſit gaudium, quis non videat? Magnitudinem gaudij, multitudinem

obſequij

obſequij teſtatiſſimam facit Braccianum, quia optatiſſimorum aſpectuum maieſtate potitur, & iucundiſſimi oris alteram & alteram præſentiam intuetur. Hæc dies, ex qua hac præſentia hac maieſtate eſt recreatum, atq. honeſtatum clara ſibi ſemper erit, atq. ſolemnis, imò tanquam natalem celebrabit. Modus iam ſit aliquis orationi meæ ſi nullus fuit ordo dicendi; cuius rei culpa in lætitiam, qua ex Sereniſs. Medicæorum aduentu afficior, atq. in obſequium, & ſtudium, quibus proſequor, eſt conferenda, quæ modum tenere atq. ordinem neſciunt ſeruare. Licet igitur res dicendæ minimè deſint, rebus tamen dicendis deſit oratio, quia ſiue ſileat, ſiuè loquatur, multò plura, multòq. maiora dicenda ſuperſunt. Medicæi enim omnes pro meritis nunquã ſatis laudari poſſunt. Silebo igitur, quia inter lætas populi acclamationes dicendi locus minimè datur, & etiam quia longam verborum ſeriem lætantes animi non admittunt, in meo igitur ſilentio, quas poſſet oratio proferre laudes agnoſcantur, multum enim ille dicit; qui ſilendo obſeruat, & colit; Vult animus ſiquidem meus D.O.M. laudatum, oratum, & exoratum ut Ferdinandus II. Medices Magnus Etruriæ Dux Sereniſs. diuturnus viuat & feliciſſimus, quia non ad honoris, ſed ad Aeternitatis templum aditum ſibi patefacit ampliſſimum. Dixi.

1042 . 10

3 957370

Digitized by Google